

CONTROVERSIARUM

DE VERBO DEI

LIBER TERTIUS

DE INTERPRETATIONE SCRIPTURÆ.

CAPUT I.

*Scripturam non esse tam apertam per se, ut sine explicatione sufficiat ad controversias Fidei terminandas.*

Scripturis in hoc tertio lib. de interpretatione divinarum Litterarum, ab illa questione principium faciendum esse duxi : sintne Scripturæ sacræ per se facillimæ, atque apertissimæ; an vero interpretatione indigeant. Et quidem Martinus Lutherus præfat. assert. artic. a Leone Pontif. damnat., sic ait : « Oportet, Scriptura judicæ, hanc sententiam ferre, quod fieri non potest, nisi Scripturæ dederimus principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus, hoc est, ut sit ipsa per se certissima, facillima, apertissima sui ipsius interpres, omnium omnia probans, judicans, et illuminans etc. » Ibidem contendit, Scripturam esse clariorem omnium Patrum Commentariis. Similia docet in lib. De servo arbitrio, et alibi.

Quia tamen videbat Lutherus mox posse objici : unde sint tot controversiæ, si Scriptura est tam sacræ? duo effugia excogitavit. Unum, quod Scriptura, etiamsi alicubi sit obscura, tamen illud idem alibi clare proponat. Alterum, quod Scriptura, licet per se clarissima, tamen superbis et infidelibus sit obscura ob eorum cæcitatem et pravum affectum.

Addit Brentius in Proleg. contra Petrum a Soto tertium effugium, quod etiam interdum sit obscura, propter phrases alienæ linguæ, id est, Hebræicæ et Græcæ, tamen sensus ejus clarissimus sit. Quæ sententia manifeste falsa est : nam Scriptura ipsa de sua difficultate atque obscuritate testimonium perhibet. Psalm. CXVIII. *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam* (1). Ibidem : *Revelabo oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Ibidem : *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.* Et certe David noverat totam Scripturam, quæ tunc erat, et noverat phrases linguæ Hebræicæ, nec erat superbus aut infidelis. Quocirca merito S. Hieronymus in epist. ad Paulinum, tractans hæc verba, sic ait : « Si tantus Prophetæ tenebras ignorantia confitetur, qua nos putas parvulos, et pene lactentes inscitia nocte circumdari? »

Præterea, Luca ult. Dominus interpretabatur Scripturas discipulis suis, qui certe noverant phrases Hebræicas cum essent Hebræi, nec erant superbi, vel infideles. Actor. VIII. Eunuchus Regina Æthiopia versabatur in Scripturis, easque diligenter legebat, et sanctus, pius, et humilis erat, ut Hieronymus docet, in epist. ad Paulinum de Stud. Script., et tamen interrogatus a Phidit : *Putas intelligis, quæ legis? respondit : Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi* (2).

Denique II. Petri ult., B. Petrus assertit, in epistolis Pauli esse quædam difficilia intellectu, *quæ indocti et instabiles depravant.* Ubi notandum est Apostolum Petrum non

(1) Psal. CXVIII, 34 et seq. — (2) Act. VIII, 30.

dixisse, esse quædam difficulta indoctis et instabilibus, ut hæretici exponunt, sed difficulta absolute: Nam B. Augustinus, qui certe indoctus et instabilis non erat, lib. De Fide et operib. cap. 15. et 16. fatetur, sibi difficultum esse intellectum locum illum, I. Cor. III. *Si quis autem superedificat super fundamentum etc.* et dicit, hanc esse unum ex illis locis, quæ B. Petrus monuit esse difficulta intellectu.

Deinde, præter Scripturæ testimonium, idem ostendi potest ex communi consensu veterum Patrum. Irenæus lib. II, cap. 47. postquam in rebus creatis et naturalibus plurima nos latere docuit, adjungit: « Si ergo et in rebus creaturæ, quædam quidem eorum adjacent Deo, quædam autem et in nostram venerunt scientiam: quid mali est, si et eorum, quæ in Scripturis requiruntur, universis Scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendamus Deo, et non solum in hoc sæculo, sed et in futuro, ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt a Deo? »

Origenes lib. VII. cont. Celsum: « Alii quoque cordati viri scrutando Scripturam, intellectum ejus invenire potuerunt, licet revera sit multis locis obscura. » Item homil. 5. in Levit. similem sententiam habet, adducens similitudinem hostiarum, quarum pars comedeatur a Sacerdotibus, et pars incendebatur Deo. Item hom. 42. in Exod. « Diebus ac noctibus, inquit, obsecrandum, ut veniat Agnus ex tribu Juda, et ipse librum signatum dignetur aperire. » De Basilio, et Gregorio Nazianzeno ita scribit Rufinus lib. II, histor. cap. 9. « Ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ, omnibus Græcorum sæcularium libris remotis, solis divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria presumptione, sed ex Majorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat. »

Jam Chrysostomus, quem solum hæretici nobis objicere solent homil. 40. in Jo. in illud: *Scrutamini Scripturas.* « Christus, inquit, Judæos ad Scripturarum non simplicem et perquam lectionem, sed ad investigationem pernam diligentem relegavit. Non enim dixit: Legite Scripturas, sed Scrutamini.

(1) Lib. II, Cap. 6.

Divina enim summa indigent diligentia. In umbra enim majoribus illis non abs re locutus est, ideo effodere profundius jubet, ut quæ alte delitescunt, invenire possimus. Non enim rem in superficie, et in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profunde reconditur. Qui enim hujusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam et laborem, nunquam quæsitâ inveniet. Item auctor operis imperfecti hom. 44. in Matth., duas adfert rationes, cur obscure sint Scripturæ. Prima, quia Deus voluit alios esse magistros, alios discipulos. Secunda, ne si clara esset, non tam esset utilis, quam contemptibilis.

Ambrosius in epist. 44. ad Constantium: « Mare, inquit, est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem prophetiarum enigmatum etc. » Hieronymus in epist. ad Paulinum de Stud. Script., ex instituto docet, non posse Scripturas disci sine magistro, et percurrens breviter nomina singulorum librorum, ostendit in omnibus magnas et multas esse difficultates. Idem præfat. Comment. in epistol. ad Ephes. « Non quo, inquit, ab adolescentia, aut legere, aut doctos viros, quæ nesciebam interrogare cessaverim, et meipsum tantum habuerim magistrum. Denique nuper ob hanc vel maxime causam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, et ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebam dubia, sciscitarem. » Et in epist. ad Algasiam quæst. 8: « Omnis, inquit, epistola ad Romanos nimis obscuritatis involuta est. »

Augustinus II. Doctr. Christ. « Sed multis », inquit, « et multiplicibus obscuritatibus, et ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes: quibusdam autem locis, qui vel falso suspicentur non inveniunt; ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitus esse non dubito ad edomandam laborem superbiæ, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescent. » (1) Item XII. Confess. « Mira », inquit, « profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris. » Et epist. 3. nunc 137. « Tanta est Christianarum profun-

ditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliorem ingenio conarer addiscere. » Et epist. 119. nunc 55. cap. 3. 21. « In ipsis sanctis Scripturis multa nescio plura, quam scio. »

Gregorius hom. 6. in Ezech. lib. I: « Magne », inquit, « utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhuc majus aliud, quia Scripturæ sacre intelligentia, quæ si in cunctis esset aperta, vilesceret, in quibusdam locis obscurioribus tanto majore dulcedine inventa reficit, quanto majore labore fatigat animum quæsitâ etc. » Certe isti Patres norant phrasas, nec erant superbi, infideles, et tamen ingenue confitentur, Scripturas esse difficiles. Ex quo Lutheri et Brentii temeritas ac vanitas satis, opinor, aperte coarguitur.

Neque deest ad hoc idem confirmandum præter auctoritates etiam ratio. Nam in Scripturis duo considerari possunt, res quæ dicuntur, et modus quo dicuntur. Si res consideres; necessario fatendum est Scripturas esse obscurissimas: siquidem tradunt summa mysteria, de divina Trinitate, de Incarnatione Verbi, de Sacramentis cœlestibus, de natura Angelorum, de operatione Dei in mentibus humanis, de æterna prædestinatione ac reprobatione, deque aliis rebus arcanis et supernaturalibus, quæ non sine magno studio et labore, nec sine gravissimi erroris periculo investigantur. Certe si scientia Metaphysicorum difficilior atque obscurior est omnibus aliis naturalibus disciplinis, quia causas altissimas tractat, quomodo non obscurissima erit sacra Scriptura, quæ de rebus longe altioribus agit? Quid quod magna pars Scripturæ vaticinia continet de rebus futuris, et vaticinia carmine scripta, quibus certe nihil difficilius, nihil obscurius.

Si vero modum dicendi consideremus, inveniemus innumerabiles rationes difficultatis. Primo, sunt in Scripturis plurima, quæ prima fronte videntur contraria, ut illud Exod. XX. *Ego Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios, in tertiam et quartam generationem* (1). Et illud Ezech. XVIII. *Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima, quæ*

*peccaverit, ipsa morietur* (2). Secundo, sunt verba et orationes ambigue, ut Jo. VIII. *penitentibus Judæis: Tu quis es? respondit Christus: Principium, qui et loquor vobis?* (3) Miro enim torquent hic se omnes Interpretes, nec adhuc scitur quid illud sit: *Principium* qui: et in Græco adhuc est res obscurior, ubi *Principium* est accusativi casus, *τὸ ἀρχή*. Tertio, sunt orationes imperfectæ, ut Rom. V. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in Mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (4) et quæ sequuntur: ubi in tota periodo non est verbum principale. Quarto, sunt orationes præpostere, ut Genes. X. *Isti sunt filii Sem secundum cognationes, et linguas, et regiones in gentibus suis.* Nam continuo sequitur initio cap. XI. *Erat autem terra labii unius, et sermone eorundem* (5). Quinto, sunt phrasæ propriæ Hebræorum, ut Psalm. LXXXVIII. *Thronus ejus sicut dies cœli.* Item Psalm. CXVIII. *Anima mea in manibus meis semper* (6), et aliæ permultæ. Sexto, sunt orationes figuratæ plurimæ, Tropi, Metaphoræ, Allegoriæ, Hyperbatæ, Ironiæ, et alia id genus sine ullo numero.

Accedat postremo testimonium adversariorum, quod velint nolint, huic veritati coguntur perhibere. Nam si Scriptura esset tam clara, ut ipsi dicunt, cur tot commentaria Lutherus et Lutherani scriberent? cur tam diversas ederent Scripturæ versiones? cur tam varie Scripturam explicarent? Certe Osiander in confutatione scripti, quod adversus eum Philippus ediderat, testatur, viginti sententias diversissimas de justificatione secundum Scripturas versari inter solos Confessionistas. Et Lutherus ipse in lib. I. cont. Zwingl. et Œcolampad., nonne scriptum reliquit. « Si diutius steterit Mundus, iterum fore necessarium, propter diversas Scripturæ interpretationes quæ nunc sunt, ut ad conservandam Fidei unitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus. » Et unde, quæso, tot Scripturæ interpretationes, si Scriptura est tam facilis et aperta? Quid quod in hac sententia ipsi se cum miffice pugnant?

Lutherus, qui in præfat. assert. artic. suor. asseruit, Scripturam per se apertissimam et clarissimam esse: et lib. de ser. arb. jacta-

(1) Exod. XX, 5. — (2) Ezech. XVIII, 4 et 20. — (3) Joan. VIII, 25. — (4) Rom. V, 12. — (5) Gen. X, 3; Ib. XI, 1. — (6) Psal. CXVIII, 30; Ib. CXVIII, 109.

vit, nihil difficultatis esse in sacris Litteris, et nullam sibi locum adferri posse, quem ipsi non facile interpretetur: idem tamen in præfat. in Psal. « Nolim », inquit, « ab ullo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit sanctissimorum et doctissimorum, id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere, et docere. Sat est, aliquot, et eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit Spiritus, quo nos semper discipulos habeat; multa solum ostendit ut alluciat, multa tradit ut afficiat. » Et infra: « Scio esse impudentissimam temeritatis, cum qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus intellectum. » Et in lib. de Concil. pag. 12. « Ante viginti annos », inquit, « coactus sum contemnere Patrum commentaria, cum Scriptura legenda esset in Scholis, et magno sudore veram et germanam sententiam quærere. »

Brentius in prolegom. contra Petrum a Soto: « Nugantur », inquit, « Scripturam esse obscuram, ideoque interpretatione indigere. » Et infra dicit: « Impiis et incredulis tantum Scripturam esse obscuram, non autem piis credentibus. » At ipse in sua Confess. Wirtemberg, cap. de sac. Script. sic ait: « Non est obscurum, inquit, « quod donum interpretandæ Scripturæ non sit humane prudentiæ, sed sancti Spiritus: Spiritus sanctus autem est liberrimus, nec est ad certum genus hominum obligatus, sed distribuit dona hominibus pro suo ipsius beneplacito. »

At cur, quæso, Brenti, donum interpretationis necessarium est, si ut tu ipse paulo ante dicebas, Scriptura interpretatione non eget?

Jam vero Martinus Kemnitius in Exam. IV, sess. Conc. Trid.: « Deus », inquit, « voluit in Ecclesia exstare donum interpretationis, quod sicut donum sanationum, miraculorum, et linguarum, non est commune omnibus. » Et infra: « Grati », inquit, « et reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca commentariis suis utiliter illustrarunt. » Valde gratus nimirum Patrum laboribus fuit parens vester Lutherus, cum in lib. de Concil. pag. 52. Patrum commentarios scripsit esse carbones pro auro. Nec minus Luthero suo repugnant Centuriatores, qui tamen rigidi sunt Lutherani, cent. 1. lib. II, cap. 4. colum. 52. dum

(1) Deut. XXX, 11, 12. — (2) Ibid. 14.

ita scribunt: « Senserunt Apostoli, Scripturas non posse intelligi sine Spiritu sancto et interprete. » Sed argumenta Lutheri et Brentii videamus.

## CAPUT II.

### *Solvuntur objectiones adversariorum.*

Objectionem primam desumunt ex illis verbis Deuter. XXX. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in celo situm, neque trans mare etc.* (1). In quibus verbis summa quædam ostenditur Scripturarum facilitas: « Ut non sit opus », inquit Brentius, « montes superare. et ire Roman pro interpretatione Scripturarum. »

Respondeo: bifariam hunc locum intelligi solere. Plurimi Veterum hunc locum intelligunt, non de facilitate intelligendi Scripturas, sed de facilitate implendi mandata Decalogi, cum adest gratiæ auxilium. Quod est contra omnes Lutheranos, qui docent, impossibilia esse Dei mandata. Ita exponit Tertullianus lib. IV. Contra Marcionem, Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, et alii in cap. X. ad Rom., et August. lib. De perfect. justit. resp. penult.

Alii tamen, in quibus est Abulensis in hunc locum, intelligunt hæc verba de facilitate cognitionis, non quidem Scripturarum sanctorum, quæ tunc adhuc nullæ erant fortasse, sed præceptorum tantum Decalogi, quæ cum sint naturalia, facilitate intelliguntur; et Judæi illi præcipue facile poterant ea scire, qui Mosen explicantem audierant, et confessi fuerant se percepisse omnia, et promiserant se ea observaturos; ideo subditur: *Prope est sermo in ore tuo, et in corde tuo* (2); id est, in corde tuo, quia jam intellexisti quid sit agendum; et in ore tuo, quia jam confessus es te intellexisse. Neque pugnat cum hac explicatione quod David supra citatus fateatur, sibi difficilem fuisse Legem Domini ad intelligendum. David enim nomine Legis non intelligit decem illa præcepta solum, sed omnes divinas Scripturas, Quia significatione utitur etiam Dominus in Evangelio,

cum ait: *Ut adimpleatur quod in lege eorum scriptum est, quia odio habuerunt me gratis*, Joan. XV (1).

Secundum argumentum ex Psal. XVIII. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, et Psal. CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Et: *Declaratio sermonum tuorum*, etc. Et Proverb. VI. *Mandatum lucerna est, et lex lux* (2).

Respondeo primo: non agi hoc loco de universis Scripturis, sed tantum de præceptis Dominicis, quæ dicuntur lucida, lucerna et lux. Non quod facile intelligantur, quamquam et hoc est verum; quid enim facilius, quam Diliges proximum tuum? sed quod intellecta et cognita dirigant hominem in operando. Secundo dici potest, agi quidem de Scripturis omnibus, sed Scripturas dici lucidas, imo lucem, et lucernam, non quod facile intelligantur, sed quod intellecta cum fuerint, mentem illustrant. Propheta enim in Psal. XVIII, locutus fuerat de cognitione Philosophorum, quam assecuti fuerant ex creaturis, cum ait: *Cæli enarrant gloriam Dei etc.* Postea ut ostenderet, eos non pervenisse ad eam lucem, ad quam perveniunt ii, quos Deus erudire dignatur, et quibus legem scriptam dedit, subjungit: *Lux Domini immaculata, convertens animas etc.* (3). Similiter Ps. CXVIII, demonstrare voluit, majorem esse cognitionem quæ habetur ex verbo Dei revelato, quam ex creaturis; ac propterea comparavit verbum Dei lucernæ, quæ ad noctis tenebras dissipandas multo nobis utilis est, quam omnium stellarum lumen.

Argumentum tertium Matt. V. *Vos estis lux Mundi* (4). at si Apostoli lux mundi sunt quomodo prædicatio et Scripturæ Apostolorum non clarissima sunt?

Respondeo: loquitur Dominus de luce exemplorum, prohibitatis, et morum: voluit enim Apostolorum esse quædam exempla sanctitatis omnibus hominibus ad imitandum proposita. Quocirca subjicit continuo: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* (5). Ad hæc, si loqueretur Dominus de luce doctrinæ, non esset sensus, Apostolorum Scripturas esse facilissimas ad intelligendum, sed intellectas illustrare mentem, et erudire de rebus altissimis, et tene-

bras errorum omnium effugare. Non tam enim illuminat, qui clare loquitur, vel scribit, quam qui sive clare sive obscure loquitur aut scribat, lumen veritatis in mente accendit, et tenebras errorum depellit.

Argumentum quartum II. Petr. I. *Habemus firmiorem prophetiæ sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*. (6).

Respondeo: hoc etiam loco Prophetarum voces vocari lucernam, non quia facile intelligantur, sed quia intellectæ illuminant, et iter ostendunt ad Christum, qui est verus Sol justitiæ.

Argumentum quintum II. Corint. IV. *Quod si opertum est Evangelium nostrum; in vobis qui pereunt est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excecavit oculos infidelium, ut non fulgat eis illuminatio gloriæ Christi* (7). Fidelibus igitur omnibus Scriptura est aperta et facilis.

Respondeo: Apostolus non loquitur de intelligentia Scripturarum, sed de cognitione et Fide in Christum, quam Apostoli prædicabant. Dixerat enim capite superiore, hoc esse discrimen inter vetus Testamentum et novum, quod in veteri homines non videbant mysteria Christi, incarnationem, passionem etc. nisi per velamen figurarum et umbrarum. Id quod significabat velamen illud, quo Moses faciem suam tegebat, cum loqueretur ad populum: at in novo Testamento, figuris omnibus jam impletis, revelata facie gloriæ Domini speculamur, et non est anus, nec puer Christianus, qui non sciât, Deum incarnatum, passum etc.

Quoniam igitur poterat aliquis petere, si ita est, cur tam multi post Evangelium prædicatum adhuc non credunt, et nihil vident, præsertim Judæi, nisi umbras et figuras? Ideo subjungit Apostolus, quibusdam esse opertum Evangelium, quia oculi interni eorum pravis affectibus excecati sunt, de quibus dixit Dominus Jo. V. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis* (8)? Porro Deus hujus sæculi, non intelligitur Deus aliquis creator rerum corporalium distinctus a Deo vero, ut Marcionistæ et Manichæi interpretabantur, ut hic refert Chrysostomus, sed vel illud *Hujus sæculi* conjungi debet, non cum Deo, sed cum

(1) Joan. XV, 25. — (2) Psal. XVIII, 9; Ib. CXVIII, 105 et 130.; Prov. VI, 23. — (3) Psal. XVIII, 1 et 8. — (4) Math. V, 14. — (5) Ibid. 16. — (6) II. Petr. I, 19. — (7) II. Cor. IV, 3 et 4. — (8) Joan. V, 4.

*Infidelium*, ut Ambrosius, Chrysostomus, et alii in hunc locum volunt, et Augustinus lib. XXI, cont. Faustum cap. 2. Vel certe Deus hujus seculi vocatur Diabolus, non quia sit Deus absolute, sed quia est Deus infidelium, sicut Psal. XLV, dicitur: *Dii Gentium demonia*. Ita Augustinus lib. XXI, cont. Faustum cap. 9, et Cyrillus apud *Oecumenium*.

Argumentum sextum: Augustinus. lib. II, doct. Christ. c. 6. sic ait: «Magnifico et salubriter Spiritus sanctus ita Scripturam sanctam modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret, nihil enim fere de illis obscuritatibus eruit, quod non planissime dicitur alibi reperitur.»

Respondeo: non frustra B. Augustinum addidisse illud *Fere*: nam quaedam reperiuntur obscurissima, quae nunquam in tota Scriptura explicantur, ut magna pars Apocalypsis, principium et finis Ezechielis etc. Deinde hoc ipsum esse valde difficile, invenire nimirum id, quod uno loco obscurissime dicitur, ubinam aperte dicatur; alioqui quomodo diceret idem Augustinus in epist. 119, cap. 21, se plura nescire, quam scire in sacris Litteris? Quid quod illa etiam loca, quae nobis videntur apertissima, alicui alteri obscura forte videbuntur? Non igitur Scriptura sola sufficit dirimere controversias.

Certe illa verba Matth. XXVI: *Hoc est corpus meum* (1) videntur nobis tam clara, ut non potuerit clarius loqui Evangelista; at Zwinglianus videntur obscura, et figurata. Et illa ibidem *Bibite ex hoc omnes* (2) videntur clarissima et nobis, et Lutheranis: et tamen diversissime explicantur. Nos enim cum legamus Marci XIV. *Et biberunt ex illo omnes*, quod de duodecim Discipulis intelligitur, Scripturam per Scripturam interpretantes dicimus, Dominum duodecim Discipulis dixisse: *Bibite ex hoc omnes*. Brennius vero in suis illis prolegomenis dicit clarissime, hic praecipui non solum Apostolis, sed etiam aliis omnibus, ut ex calice Domini bibant. Et cum petimus, an etiam Turcae, et Judaei, et infantes bibere debeant? tum vero adijciunt glossam: *Omnes, id est, omnes Fideles adulti*.

Argumentum septimum. Summa totius Scripturae, quae in praecipis Decalogi, Symbolo, Oratione Dominica, et Sacramentis

consistit, habet in Scripturis apertissima testimonia; igitur tota Scriptura apertissima est.

Respondeo: negatur consequentia et antecedens. Consequentia quidem, quia etsi omnia aliquo modo ad illa reduci possint: tamen ipsa in se obscurissima sunt, ut patet de vaticiniis Prophetarum, de Canticis Cantorum, de Epistola ad Romanos, de Apocalypsi etc. Antecedens autem esse falsum, certo certius est: si enim tam clara testimonia exstarent de omnibus articulis Symboli, omnibusque Sacramentis, omnes controversiae essent finitae; cum tamen de singulis articulis Symboli, et singulis etiam Sacramentis controversiae sint gravissimae, nec solum de his rebus Catholici cum haereticis, sed etiam haeretici inter se dissideant.

Argumentum octavum. Joannes Chrysostomus hom. 3, de Lazaro, ubi ostendit, Philosophos obscure locutos, ubi subiungit: «Apostoli vero et Prophetae omnia contra fecerunt, manifesta claraque quae prodiderunt, exposuerunt omnibus veluti communes orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea, quae dicuntur, e sola lectione.» Item hom. 3, in II ad Thessalonicenses: «Quamobrem», inquit, «opus est concionatore? omnia clara sunt, et plana ex Scripturis divinis: sed quia delicatuli estis auditores, delectationem audiendo venantes, propterea concionatores quaeritis.»

Respondeo: Chrysostomus ad excutiendum torporem multorum, qui possent si velent magno cum fructu Scripturas legere, illis amplificationibus uti solet. Nam alioqui in iisdem locis affirmat, Scripturas esse difficiles. In hom. 3, de Lazaro, ante verba citata, sic ait: «Quid igitur», inquit, «si non intelligamus ea, quae continentur in libris? Maxime quidem etiam si non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia.» Et infra testatur, se, cum dicit Scripturas esse faciles, loqui solum de historiis, et similibus rebus; ac ne ista quidem esse omnibus clara et facilia: «Sume», inquit, «librum in manus, lege historiam omnem, et quae nota sunt memoria teneas, et quae obscura sunt, parumque manifesta, frequenter percurrere. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem.» Et in illa homil. 3, in

II ad Thess. post verba citata subdit: «Quanam ea obscuritas; dic quaeso? An non sunt historiae? Nosti ne quae clara sunt, ut de his quae sunt obscura perconteris? Mille historiae sunt in Scripturis, dic mihi unam ex illis: sed non dices, praetextus sunt ista, et verba.» Item hom. 10, in Jo. monet auditores, ut antequam ad concionem veniant, praelegant lectionem, et quae obscura sunt, notent, ut a Concionalore explicationem accipiant. Denique homil. 44, in Jo. clarissime docet, Scripturas esse obscuras, ut supra dictum est.

Argumentum nonum. Hoc est discrimen inter Testamentum vetus et novum, quod in veteri Scriptura erat liber signatus, ut dicitur Isa. XXIX, in novo autem est liber apertus, ut dicitur Apocal. V, aperuit enim Agnus ocellus librum. In ejus rei argumentum, in morte Domini velum Templi scissum est Matth. XXVII, et confirmatur ex Hieronymo in cap. XLIV, Ezech. ubi ista loca Scripturae de ipsis Scripturae difficultate et facilitate exponit.

Respondeo: discrimen veteris Testamenti et novi in hoc consistere, quod tunc non solum sententiae Scripturarum, sed etiam mysteria Christi non intelligebantur, quia omnia tecta erant figuris, et propterea Isa. XXIX, dicitur liber signatus, tam scienti litteras, quam nescienti. At in novo Testamento, quia Christus implevit figuras et prophetias, etsi multi non intelligant sententias Scripturarum, intelligant tamen ipsa mysteria redemptionis etiam rustici et mulieres. Quod autem neque Scripturae, neque Hieronymus loquantur de sententia Scripturae, patet tum ex Origene in hom. 12, in Exod., ubi dicit, adhuc nunc esse opus, ut Agnus de tribu Juda aperiat nobis libros signatos; tum ex ipso Hieronymo, qui in epist. ad Paulinum de instit. Monac. dicit, adhuc hodie manere velamen, non solum in facie Mosis, sed etiam in facie Evangelistarum et Apostolorum, si consideremus Scripturarum difficultatem, et propterea orandum cum Propheta: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de Legge tua* (1).

Argumentum decimum proprium Lutheri. Patres probant sententias suas ex Scriptura: sed non debet probari quod notius est ex minus noto; igitur Scripturae sunt clariores, quam Commentaria Patrum.

(1) Psal. CXVIII, 18.

Respondeo: mirum est, cur Lutherus, qui tam saepe Sophistas reprehendit, nunc Sophistam agere non vereatur. Cum enim Philosophi dicunt, minus notum ex magis noto probandum esse, non loquuntur de notitia verborum, quae in perspicuitate sententiae consistit, quemadmodum dicimus, notiorum esse, id est, faciliorem et clariorem sententiam propriam, quam figuratam; sed de notitia veritatis rei, quae in eo posita est, ut quis intelligat, id quod dicitur esse verum. Exemplo sint motus et vita. Nam si verba respicias, aequo facile intelligitur haec sententia *Homo vivit*, atque ista *Homo movetur*. Et tamen quod ad notitiam attinet veritatis rei, notius est, hominem moveri, quam vivere. Ita igitur Patres sententias suas Scripturarum testimonio confirmant, quia notius est, verum esse quod in Scripturis habetur, quam quod habetur in Patribus; et tamen iidem Patres Commentariis suis Scripturas illustrent, quia verba Scripturae sunt obscuriora, quam verba Patrum.

Argumentum undecimum. Patres prima Ecclesiae sine Commentariis legerunt: et idem fecerunt postea omnes alii Veteres; quorsum igitur nos novam istam semitam Commentariorum ingredimur?

Respondeo: contrarium esse verum, nec ullum exemplum Lutherus attulit, cum nos innumerabilia possumus adferre. Aio igitur, primos Patres, qui continuo post Apostolos fuerunt, non legisse Commentaria, quia nulla erant: sed tamen adiese Commentaria viva, id est, Apostolos et eorum discipulos, et non ex proprio ingenio Scripturas intelligere voluisse. Ita Papias de se ipso testatur apud Eusebium lib. III, hist. cap. ult., et Clemens Alexandrinus lib. I, Stromat., ubi enumerat praecipuos suos Apostolorum discipulos, et in iis praecipue Panthenum. Deinde Justinus, et Irenaeus, et alii ceperunt Commentaria in divinas Litteras scribere, ut Hieronymus testatur in lib. de vir. illustr. in Joanne, et similiter ceperunt posteriores antiquiorum scripta evolvere, quod de Basilio et Gregorio scribit Rufinus lib. II, histor. cap. 9. et Hieronymus de seipso praefat. Comment. ad Ephes. Et idem de aliis omnibus ostendi posset, si opus esset.

## CAPUT III.

*Proponitur questio de iudice controversiarum, et simul disseritur de sensibus Scripturarum.*

Cum Scripturam obscuram esse, et interprete indigere jam constiterit, sequitur alia questio: Num Scripturæ interpretatio ab uno aliquo visibili et communi iudice petenda sit, an uniuscujusque arbitrio relinquenda? Quæ sane gravissima questio est, et ex ea quasi dependent omnes controversiæ. Scripserunt multi de hac questione, sed præcipue Joannes Driedo II, cap. 3, De Eccles. dogmat. Joannes Cochleus in lib. De Script. et Eccles. auctorit. Cardinalis Warmiensis lib. II et III, contra Prolegomena Brentii, et Petrus de Soto in defensione suæ Confessionis contra eadem Prolegomena Brentii par. 2 et 3, necnon Martinus Peresius in lib. De Tradition. assert. 2, 3, 4 et 5. Michael Medina lib. VII, De recta in Deum fide, et Melchior Canus lib. II, De loc. Theolog. cap. 6, 7 et 8.

Ut igitur in primis intelligatur, quid sit quod queritur, sunt aliqua prænotanda: ac primum de sensibus Scripturæ. Est enim Scripturæ divinæ proprium, quia Deum habet auctorem, ut sæpenumero continet duos sensus, litteralem, sive historicum, et spiritualem, sive mysticum. Litteralis est, quem verba immediate præferunt: Spiritus est, qui alio refertur, quam ad id quod verba immediate significant: quæ partitio ex Apostolo colligitur I. Corinth. X, ubi dicit, omnia accidisse Judæis in figura ad correctionem nostram. Et quæ ad litteram dicuntur de egressu Judæorum ex Ægypto, de transitu maris, de manna quod pluit in deserto, de aqua quæ fluxit de petra, spiritualiter accommodat Christianis. Quos etiam duos sensus significatos esse per librum scriptum intus et foris, de quo agitur Apoc. V, et Ezech. II, docet Hieronymus in c. II Ezech.

Philo in lib. de vita Theot. supplic., et Nazianzenus ad Nemesium, litteralem com-

parant corpori, spirituales animæ, et sicut Verbum Dei genitum habet naturam divinam invisibilem, et humanam visibilem: ita verbum Dei scriptum habet sensum externum et internum. Esse autem hoc proprium solius divinæ Scripturæ, docet B. Gregorius lib. XXI, Moral. cap. 1.

Porro litteralis est duplex, alius simplex, qui consistit in proprietate verborum, alius figuratus, quo verba transferuntur a naturali significatione ad alienam. Et hujus tot sunt genera, quot sunt genera figurarum. Cum Dominus Jo. X, dicit: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex ovili etc.* (1) sensus litteralis est, sed figuratus, alios homines præter Judæos congregandos in Ecclesiam: quod proprie dictum est Jo. XI, ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum. Vide de his figuratis locutionibus Augustinum lib. III, de doctr. Christ.

Spirituales autem sensus a recentioribus Theologis distinguitur triplex, allegoricus, tropologicus, anagogicus. Allegoricum vocant, cum verba Scripturæ, præter litteralem sensum, significant aliquid in novo Testamento, quod ad Christum, vel Ecclesiam pertineat, quomodo Abraham, qui revera ad litteram habuit duas uxores, unam liberam et unam ancillam, et duos filios, Isaac et Ismael, Deum auctorem duorum Testamentorum, et Patrem duorum populorum significavit, ut Apostolus explicat Galat. IV. Tropologicum appellant, cum verba aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertineat ad mores. Quomodo *Non alligabis os bovi trituranti* (2). Deuter. XXV, quod intelligitur ad litteram de veris bobus, significat spiritualiter non debere prohiberi Concionatores, quin victum accipiant a populo, ut Apostolus explicat I. Corinth. IX. Anagogicum vocant, cum verba aut facta referuntur ad significandam vitam æternam. Quomodo illud Ps. XCIV. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam* (3), quod ad litteram intelligitur de terra promissionis, spiritualiter etiam refertur ad vitam æternam, ut Apostolus explicat Heb. IV.

Hæc distinctio spiritualium sensuum a Veteribus non semper observatur. Elsi enim agnoscunt, quantum ad rem attinet, hos omnes sensus; tamen interdum omnes vocant allegorias, ut Basiliius initio hom. 9, Hexam. et August. lib. De utilit. cred. cap. 3.

Porro Hieronymus in epist. ad Hedibiam quest. 12, nomine Tropologici comprehendit etiam Allegoricum, et e contrario in cap. IV, Amos, nomine Allegorici comprehendit Tropologicum.

Ex his sensibus, litteralis invenitur in omni sententia, tam veteris, quam novi Testamenti. Nec est improbabile, interdum plures litterales in eadem sententia reperiri, ut B. Augustinus docet multis in locis, et præsertim lib. XII, Confess. cap. 26, lib. XI, de Civ. Dei cap. 19 et lib. III, De doct. Christ. c. 27. At spiritualis invenitur quidem omnis in utroque Testamento. Nam de Testamento veteri nemo dubitat, quin habeat sensum allegoricum, tropologicum, et anagogicum: de Testamento novo idem sentiunt permulti, et merito. Nam allegorice exponit Augustinus tractat. 122, in Joan. illam capturam piscium, quando scindebatur rete, Luc. V, anagogice autem illam, quando rete non scindebatur, Joan. XXI. Et similiter tract. 124, in Joan. allegorice exponit, quod dictum est Petro *Sequere me*, et anagogice, quod dictum est de Joanne *Sic eum volo manere*, Joan. XXI. Tropologicæ autem exponit ipse Dominus Joan. XIII, illam suam humilitatem, qua discipulorum pedes lavit.

Sed quamquam hæc ita se habeant, tamen non invenitur spiritualis sensus in omni sententia Scripturæ, nec in Testamento veteri, nec in novo. Illud enim *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (1), Deuter. VI, et Matth. XXII et similia præcepta, non habent nisi unum sensum, id est, litteralem, ut recte docet Cassianus collat. VIII, cap. 3. His ita constitutis, convenit inter nos et adversarios, ex solo litterali sensu peti debere argumenta efficacia: nam eum sensum, qui ex verbis immediate colligitur, certum est sensum esse Spiritus sancti. At sensus mystici et spirituales varii sunt, et licet edificent eum non sunt contra Fidem, aut bonos mores, tamen non semper constat, an sint a Spiritu sancto intenti. Quocirca B. Augustinus in epist. 48, ad Vincentium, merito ridet Donatistas, qui ex illis verbis mystice explicatis: *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, colligebant, Ecclesiam Christi in sola Africa remansisse, Hieronymus quoque in Comment. Matthæi c. 13, docet, Fidei dogmata ex mysticis sensibus non posse efficaciter confirmari.

De ipso autem sensu litterali duabus de causis interdum dubia oriuntur. Prior est verborum ambiguitas, qualis cernitur in illo Matth. XXVI: *Bibite ex hoc omnes* (2). Illud *omnes* est ambiguum, si sola ista verba inspiciantur: necsilit enim, an omnes homines absolute significet, an omnes Fideles tantum, an omnes Apostolos. Posterior et gravior est verborum proprietates. Cum enim litteralis sensus modo sit (ut diximus) simplex, modo figuratus; dubium est in multis locis, an sensus verus sit simplex, an figuratus. Illud enim Matth. XXVI: *Hoc est corpus meum* (3) Catholici volunt accipi simpliciter secundum verborum proprietatem, Zwingliani autem per figuram Metonymiam. Et ex hac causa in gravissimos errores aliquando nonnulli inciderunt. Exemplo sit Origenes, qui propterea erravit, quod quæ accipienda erant simpliciter, accepit figurate, ut Hieronymus docet in epist. ad Pamachium de error. Jo. Hierosol., ubi dicit, Origenem sic Paradisum terrestrem allegorizare, ut historie auferat veritatem, dum pro arboribus Angelos, pro fluminibus Virtutes cœlestes intelligit; et tunicas pelliceas Adæ et Evæ corpora humana interpretatur, quasi ante peccatum sine corpore vixerint.

Alii e contrario lapsi sunt, quod simpliciter et proprie acceperint, quæ accipienda erant figurate, ut Papias, et qui eum secuti sunt, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, alique nonnulli, qui quæ dicuntur Apocal. XX de nova Hierusalem, et mille annis, quibus regnaturi sunt Sancti cum Christo, hic in terris, implenda existimaverunt, quorum errorem reprehendit Hieronymus præfat. lib. XVIII in Isa., et in cap. XXXVI Ezech. et Augustinus lib. XX De Civ. Dei cap. 7.

Convenit etiam inter nos et adversarios, Scripturas intelligi debere eo spiritu, quo factæ sunt, id est, Spiritu sancto. Quod Apostolus Petrus epist. II, c. 1, docet, cum ait: *Hoc primum intelligentes, quod omnis propheta Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim humana voluntate allata est aliquando propheta, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (4). Ubi B. Petrus probat, non debere exponi Scripturas ex proprio ingenio, sed secundum dictamen Spiritus sancti, quia non sunt scriptæ humano ingenio, sed ex inspiratione Spiritus sancti.

(1) Joan. X, 16. — (2) Deut. XXV, 4. — (3) Psal. XCIV, 11.

(1) Deut. VI, 5.; Matth. XXII, 37. — (2) Matth. XXVI, 27. — (3) Ibid. 26. — (4) II. Petr. I, 20 et 21.

Tota igitur quæstio in eo posita est, ubi sit iste Spiritus. Nos enim existimamus, hunc Spiritum, etsi multis privatis hominibus sæpe conceditur, tamen certo inveniri in Ecclesia, id est, in Concilio Episcoporum confirmato a summo Ecclesiæ totius Pastore, sive in summo Pastore cum Concilio aliorum Pastorum. Non enim disputare volumus hoc loco de summo Pontifice et Conciliis, an solus Pontifex possit rem definire, et an solum Concilium; de hoc enim suo loco agemus. Sed hic in genere dicimus, judicem veri sensus Scripturæ et omnium controversiarum esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Concilio, in quo omnes Catholici conveniunt; et habetur expresse in Concilio Tridentino sess. IV.

At hæretici omnes hujus temporis docent, Spiritum sanctum Scripturæ interpretem non esse alligatum Episcopis, vel ulli hominum generi, et ideo unumquemque judicem esse debere, sive spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat, sive alicui alteri adhiærendo, quem eodem dono præditum viderit. Lutherus præfat. assert. suor. artic., aperte nos remittit ad spiritum, quem quisque habuit, dum Scripturas diligenter legit. Et in art. 115. ex illis quingentis, quos Cochleus collegit ex libris Lutheri, sic ait: « Capite hoc Evangelium, quia neque Papæ, neque Conciliis, neque ulli hominum commissum est, ut constituat, et concludat, quid sit Fides. Ideo debeo dicere: Papa, tu conclusisti cum Conciliis, nunc habeo ego judicium, an acceptare queam, necne. Quare? quia non stabis pro me, et respondebis pro me, quando debeo mori. Et falsam doctrinam nemo judicare potest, nisi spiritualis homo. Ideo res est insana, quod Concilia concludere et statuere volunt quid credendum sit: cum sæpe nullus vir sit ibi, qui divinum Spiritum vel modicum olfecerit. » Idem confirmat in assertionibus art. 27, 28 et 29.

Philippus in Locis cap. de Eccles., videtur quidem aliquid Ecclesiæ tribuere; sed revera totum judicium unicuique privato homine relinquit: « Quis, inquit, erit iudex, quando de Scripturæ sententiâ dissensio oritur, cum tunc opus sit voce dirimentis controversiam? Respondeo, ipsum verbum Dei est iudex, et accedit confessio veræ Ecclesiæ. » Hæc ibi. Tamen infra cum docet, per veram Ecclesiam non intelligi Prælatos Ecclesiæ, nec majorem partem Fidelium, sed

paucos illos, qui cum verbo Dei consentiunt; omnia tenebris involvit, et unumquemque judicem facit. Nec enim judicare possum, quæ sit vera Ecclesia, nisi prius judicem quæ sit sententiâ congruens cum verbo Dei: « Est, inquit, dissimilitudo aliqua judiciorum Ecclesiæ, et judiciorum politicorum. Nam in politicis, aut Monarchia solus auctoritate sua pronuntiat, aut in Senatu valet sententiâ majoris partis: sed in Ecclesia valet sententiâ congruens cum verbo Dei, et confessio piorum, sive sint plures, sive pauciores impii. » Vide plura in loco de notis Ecclesiæ.

Similiter Brentius docet in conf. Wirtemberg., cap. de sac. Script.: et copiosius in Prolegomenis contra Petrum a Soto; ubi duo dicit. Primo: « Non licet, inquit, in causa æternæ salutis alienæ sententiâ ita inhaerere, ut eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur. » Secundo addit: « Ad unumquemque hominem privatam pertinet, de doctrina religionis judicare, et veram a falsa internoscere. Sed hoc interest inter privatam et Principem, quod ut privatus privatam, ita Princeps publicam habet de doctrina religionis potestatem judicandi et decidendi, etc. » Et toto fere libro hæc duo probare nititur, quod Princeps secularis teneatur cogere subditos, etiam mortis supplicio, ad eam Fidem, quam ipse iudicat esse veram. Et simul quod subditi obligentur sequi proprium iudicium, non alienum, cuiuscumque sit: nec advertit Brentius, quam sint hæc absurda et pugnancia, ut teneatur Princeps jubere: et subditi teneantur non obedire. Nec illud advertit, si hæc sententiâ vera sit, recte facturum Cæsarem, et alios Catholicos Germaniæ Principes, si etiam mortis supplicio cogant omnes Lutheranos ad Fidem catholicam.

Joannes Calvinus lib. IV Institut. cap. 9, §. 8, 42 et 43, Conciliorum, etiam maxime generalium, definitiones ad amussim Scripturarum examinari jubet: proinde privatos homines iudices facit in causa Fidei, non solum Patrum, sed etiam Conciliorum, nec ullum omnino relinquit Ecclesiæ commune iudicium. Denique Martinus Kemnitius in examine IV. sess. Conc. Trid., ceterique omnes hujus temporis hæretici, auctoritatem interpretandæ Scripturæ ab Episcoporum Conciliis ad privatorem hominum spiritum deducunt.

## CAPUT IV.

*Adferuntur testimonia ex Testamento veteri pro sententiâ Catholicorum.*

Probat nunc sententiâ Catholicorum; primo, testimoniis Testamenti veteris. Primum testimonium habetur Exod. XVIII, ibi enim legitur, quod cum cœpisset populus Dei redigi ad quamdam formam Ecclesiasticæ Reipublicæ, sedebat Moses tanquam princeps et caput illius Ecclesiæ, et ad omnia dubia circa legem Domini exorta respondebat, nec homines remittebat ad spiritum aliquem revelantem. Ibidem: cum constituisset juxta consilium soceri sui minores Magistratus, qui populum iudicarent, semper tamen sibi reservabat dubia circa religionem: nimirum ut intelligeremus, unum esse debere commune tribunal, a quo omnes petant divinæ legis interpretationem, et cui omnes simpliciter acquiescant.

Hoc argumentum a quibusdam eludi solet, quod dicant: Mosen fuisse Principem politicum, non Pontificem, aut Sacerdotem, cum Aaron esset Pontifex summus. Et propterea ex hoc loco non posse concludi, iudicium de rebus Fidei pertinere ad Pontifices, sed potius aliquo modo pertinere ad Reges. Respondeo: Mosen fuisse Pontificem, et quidem summum, et Aaron majorem, non quidem ordinarium cui succederetur, is enim unus tantum esse poterat, et ille erat Aaron, sed extraordinarium a Deo specialiter constitutum. Sicut in novo Testamento Apostoli omnes, non quidem majores, nec omnino pares, sed tamen aliquo modo æquales Petro erant in Ecclesiastica potestate, ut Cyprianus docet in tract. de simplicit. Prælat.: cum hoc tamen discrimine, quod Petrus ordinarius erat Pastor totius Ecclesiæ, cui soli succedi debebat, reliqui extraordinarii, quibus non erat in illa potestate succedendum. Quod autem Moses fuerit Sacerdos, testatur David, cum ait in Psal. XCVIII: *Moses et Aaron in Sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus* (1).

Sed, inquit: dicitur Sacerdos Moses, qui erat vir primarius, quomodo lib. II Reg. cap. VIII, legitur filii David Sacerdotes erant. At contra: quia si hoc loco viri primarii dicerentur Sacerdotes, etiam Samuel, qui erat vir primarius, fuisset v'dcalus Sacerdos. Quod tamen non fecit David, qui sciebat, Samuelem non fuisse Sacerdotem, sed iudicem tantum: non enim descendit ex familia Aaron, sed Core consobrini ejus, I Paralip. VI. Vere autem et proprie fuisse Mosen Sacerdotem, patet ex lib. Exod. XXVIII et XXIX, ubi Moses exercet omnia munera sacerdotalia. Siquidem sacrificat, docet, consecrat vestes, et quod majus est, Pontificem et Sacerdotes inungit et initiat. Quocirca Mosen proprie Sacerdotem fuisse, docent omnes fere Veteres; Philo lib. III de vita Mosis extremo; Dionysius cap. 3. Eccl. hierarc. Gregorius Nazianzenus in oratione habita coram Gregorio Nysseno; Augustinus in Psal. XCVIII, Hieronymus lib. I. in Jovianum, ubi etiam ostendit, Samuelem non fuisse Sacerdotem.

Secundum testimonium habetur Deuter. XVII, ubi lex generalis fertur. *Si difficile atque ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter causam et causam, lepram et lepram, et iudicium intra portas tuas videris verba variari; surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicium veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsumt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbiert, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur* (2). Hic etiam valde clare non remittuntur dubitantes ad spiritum suum, sed ad iudicem vivum, id est, summum Sacerdotem.

Sed objicit Brentius; præceptum esse conditionale, quia additur: *Facies quodcumque dixerint, qui præsumt loco, et docuerint te juxta legem ejus*. Videtur enim ex hoc loco colligi, non esse standum iudicio summi Sacerdotis, nisi proferat testimonium Legis divinæ. Respondeo: illud, *Et docuerint te etc.* non esse nisi in editione vulgata, quam Lutherani non recipiunt, nec sonare conditio-

(1) Psal. XCVIII, 6. — (2) Deut. XVII, 8 et seq.

nem, sed assertionem, sive promissionem: non enim voluit dicere *Sta iudicio Sacerdotis, si docerit te secundum legem*: tunc enim fuissent homines magis dubii et perplexi quam antea: nec opus fuisset ire ad Sacerdotem, si ipsi potuissent ex Lege Domini per se iudicare causam suam. Imo tunc non Sacerdos fuisset iudex, sed ipsi; quippe qui de sententia Sacerdotis iudicaturi erant: non igitur illa conditio est, sed promissio, vult enim Dominus securum reddere populum, qui Sacerdotis iudicio acquiescit; quod facit, cum affirmat iudicaturum eum secundum Legem suam.

Secundo obijcit Brentius: hoc loco non solum ad Sacerdotem, sed ad iudicem etiam remitti eos, qui dubitant; iudicem autem fuisse politicum Principem. Respondeo: nomine iudicis posse hic intelligi Principem Sacerdotum; nam in Hebræo est *Ascende ad Sacerdotes et ad iudicem*, quasi diceret, ad concilium Sacerdotum, et eorum Principem summum Sacerdotem. Dico secundo: si intelligamus nomine iudicis politicum Principem, hic esse distincta officia. Nam Sacerdoti tribuitur sententia definitiva, iudici autem executio in contumaces: *Qui superbi- rit, inquit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis moriatur*.

Tertio obijciunt: hic non agi de dubiis religionis, sed de politicis. Respondeo: falsum esse; nam lex generalis est de omnibus dubiis, quæ ex Lege oriebantur. Præterea occasio hujus legis fuit propter eos, qui serviunt diis alienis, ut patet ex initio capituli, servire autem diis alienis contra religionem est.

Tertium testimonium est Eccl. XII: *Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. His amplius, filii mihi nerequiris*(1). Hoc loco Salomon docet, non esse ulterius inquirendum, sed acquiescendum penitus, quando sententia data est a summo Pastore, adjuncto præsertim consilio sapientum. Quod si hæc dicuntur de Sacerdote veteris Testamenti; quanto magis dici possunt de Sacerdote Testamenti novi, qui longe majores promissiones a Deo accepit?

Quartum testimonium est Aggæ II: *Hæc dicit Dominus exercituum; interroga Sacerdo-*

*tes legem. Malach. II: Lobia Sacerdotis custodi- ent scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est* (2). Ex quibus verbis intelligimus, non esse privato- rum hominum iudicare de sententia Legis Domini, sed Sacerdotis, qui cum sit Angelus, id est, nuntius Dei, ad eum pertinet ex officio explicare sententiam Dei.

Accedat ultimo illud ex lib. II Paralip. c. XIX, ubi sic loquitur ad Sacerdotes Rex optimus Josaphat: *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis, inter cognationem et cognationem, ubicunque questio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in Dominum. Amarias autem Sacerdos et Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias filius Ismahel, qui est Dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent* (3). Vides hic, quam clare Rex distinguat officium Pontificis ab officio Regis, et soli Pontifici tribuat iudicium de dubiis Legis.

## CAPUT V.

*Idem probatur ex Testamento novo.*

Jam vero ex novo Testamento. Primum testimonium est Matth. XVI. *Tibi dabo claves regni cælorum etc.* (4). Per istas enim claves non solum intelligitur potestas solvendi a peccatis, sed etiam ab omnibus aliis vinculis et impedimentis, quæ nisi tollantur, non potest intrari in regnum cælorum: siquidem promissio generalis est, nec dicitur: *Quem- cunque solveris, sed Quodcumque solveris*, ut intelligamus, nodos omnes, seu legum dispensando, seu peccatorum et peccatorum relaxando, seu dogmatum et controversiarum explicando, a Petro ejusque successoribus solvi posse. Sed de hoc loco in I. lib. de sum. Pontif. plura dicemus.

Alterum testimonium esse potest illud Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus et Publicanus* (5). Est autem hoc loco observandum, hic quidem Do-

minum loqui de injuriis, quas unus ab alio- quo patitur: sed a majori intelligendam etiam esse de injuriis, quæ fiunt in totam Ecclesiam, et in Deum, qualis est hæresis. Qui enim jubet deferri adulterum ad Eccle- siæ iudicium, multo magis hæreticum. Non autem potest fieri, ut deferantur ad congrega- tionem omnium Fidelium; igitur nomine Ecclesie intelligi debet Prælati, ut Chry- sostomus exponit, vel (ut alii malunt) Præla- torum congregatio. Ut enim homo non lo- quitur, neque audit, nisi per caput, et ta- men lotus homo dicitur loqui et audire; ita Ecclesia per suos Prælatos audit, et loquitur. Si ergo qui Ecclesiam, id est, Ecclesie Pas- tores non audit, debet esse ut Ethnicus et Publicanus; sequitur, Pastorum esse ultimum iudicium.

Tertium testimonium Matth. XXIII. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei, quæcumque dixerint vobis, servate, et facite, secundum opera vero eorum nolite facere* (1). Ubi nota tria. Primo, toto illo capite Domi- num reprehendere vitia Scribarum et Phari- sæorum: et quia poterant infirmi ex eo col- ligere, non esse credendum Prælati qui male vivunt; ideo initio capituli aperte do- cere voluisse, non obstante mala vita Præla- torum, sequendam esse eorum doctrinam. Secundo, nota cum Cypriano lib. IV, epist. 9. nunquam Dominum, neque Apostolos in tota Scriptura reprehendisse Pontifices et Sacer- dotes Judæorum, nominando eos Pontifices vel Sacerdotes, sed solum sub nomine Scri- barum et Phariseorum; ne viderentur re- prehendere cathedram et sacerdotium, et ut intelligeremus, semper deberi honorem sa- cerdotio et pontificatui, etiam si forte per- sona, quæ in cathedra sedet, sit minus bona. Ex quo intelligimus, hæreticos hujus tempo- ris, qui passim in Episcopos et Sacerdotes, et præcipue in ipsum summum Ecclesie Pontificem invehuntur, nihil habere com- mune cum moribus Domini, et Apostolo- rum.

Tertio nota, quod Dominus de cathedra Moysi dicit, intelligi a fortiori de cathedra Petri. Sic enim Veteres intellexerunt, et præ- cipue Augustinus in epist. 165.: «In illum, inquit, ordinem Episcoporum, qui dicitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil

præjudicaret Ecclesie, et innocentibus Chri- stianis, quibus Dominus providens ait, de præpositis malis: Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite.»

Quartum testimonium Joannis ult. *Simon Petre, pasce oves* (2). Hic etiam sunt anno- tanda tria. Primo, quod dicitur Petro, dici etiam successoribus: nec enim providere voluit Christus Ecclesie ad annos 25. tantum sed quousque Mundus duraret. Secundo, illud *pasce* intelligi præcipue de doctrina: sic enim pascuntur oves rationales. Hierem. III. *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina* (3). Tertio, il- lud *oves* significare omnes Christianos: qui enim non vult pasci a Petro, non est ovis Christi.

Ex his efficitur, Petro et successoribus ejus singulariter commissum esse, ut doceant omnes Christianos. Id autem non potest com- modius intelligi, quam hoc modo, ut dica- mus, commissum esse Petro et successoribus, ut doceant omnes, quod circa doctrinam Fidei tenendum sit. Nam si id intelligamus tan- tum de concionibus, nunquam implebitur hoc præceptum; nec enim potest Pontifex omni- bus hominibus concionari, nec est opus, cum sint in singulis Ecclesiis qui concio- nentur.

Si etiam intelligamus solum de concione et commentariis in sanctas Litteras, ut quos Pontifex non potest verbo docere, doceat per scripta commentaria; reprehendimus pluri- mos sanctissimos Pontifices, qui nihil tale fecerunt; ergo loquitur Dominus de singu- lari officio docendi totam Ecclesiam, consti- tuendo ac decernendo quid ab omnibus sit credendum. Atque ad hunc modum intel- lexit hunc locum B. Hieronymus in epist. ad Damas. de nom. Hypost., petens enim a Pontifice controversiæ cujusdam explicatio- nem circa Fidem: «A Pastore, inquit, præsi- dium ovis flagito.»

Quintum testimonium Lucæ XXII. *Roga- vi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu ali- quando conversus, confirma fratres tuos* (4). Ex hoc loco, Romanum Pontificem ex ca- thedra docentem non posse errare, deducit B. Bernardus epist. 90. ad Innocent., et ante eum Lucius I, in epist. 4. ad Episc. Hispan. et Gallie. Felix I, in epist. ad Benignum. Marcus in epist. ad Athanas. Leo I, serm. 3. de assumpt. sua ad pontific. Leo IX, in epist.

(1) Eccl. XII, 11. — (2) Aggæ. II, 12.; Malach. II, 7. — (3) II. Paralip. XIX, 18. — (4) Matth. XVI, 19. — (5) Matth. XVIII, 17.

(1) Matth. XXIII, 2 et 3. — (2) Joan. XXI, 15 et seq. — (3) Jerem. III, 15. — (4) Luc. XXII, 32.

ad Pet. Antioch. Patriarch. Agatho in epist. ad Constantium Imperatorem, quæ lecta est in VI Synodo act. IV. et deinde act. VIII. a toto Concilio approbata. Paschalis II. in Concilio Romano, apud Abbatem Urspergensium in Chronico; quibus addo, velint nolint hæretici, Innocentium III. cap. Majores de Baptismo et ejus effectus. Si ergo Romanus Pontifex errare non potest ex cathedra docens, certe judicio ejus acquiescendum est, et ipse esse debet summus Judex.

Sextum testimonium est Act. XV. ibi enim legimus, cum orta esset quæstio gravis de Fide, in servanda esset Lex Mosis a Gentibus conversis, non fuisse remissos unumquemque ad spiritum suum, sed ad Concilium Hierosolymæ habitum, cui Petrus præerat, et Petrum omnium primum in Concilio locutum, deinde Jacobum sententiam Petri confirmasse, et sic quæstionem solutam illis verbis: *Visum est Spiritui sancto et nobis etc.* (1). Quibus ostendunt, sententiam Concilii, cui præest Petrus, sententiam esse Spiritus sancti. Et ibidem in fin. cap. legimus, Paulum quocumque ibat præcipere solitum, ut servarent decretum illius Concilii, id est, ut acquiescerent, et non vellent ipsi de sententia Concilii judicare.

Septimum est in epist. ad Galatas cap. II. *Ascendi, inquit Paulus, Hierosolymam cum Barnaba, et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus; seorsum autem eis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem* (2). Quinam autem essent illi quibuscum contulerat, inferius explicat dicens, fuisse Petrum, Jacobum et Joannem. Quem locum explicantes Tertullianus lib. IV. in Marcion., B. Hieronymus in epist. 80. ad August., quæ est 11. inter epist. August., et Augustinus lib. XVIII. contra Faustum cap. 4. discrete affirmant, Ecclesiam non esse Paulo credituram, nisi ejus Evangelium a Petro confirmatum fuisset: ergo Petri erat tunc, et proinde successoris ejus nunc de doctrina Fidei judicare.

Octavum testimonium I. Cor. XII. *Alii datur per Spiritum sermo sapientie, alii sermo scientie, alii interpretatio sermonum, alii prophetia etc.* (3). Hic aperte dicitur, non dari omnibus Fidelibus spiritum interpretandi Scripturas.

Et præterea constat ex illo II. Petri I. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit* (4), non posse sine spiritu interpretandi bene Scripturam exponi. Igitur evidenter colligitur, non esse judicem veri sensus Scripturæ ullum hominem privatum. Quid enim faciet, qui spiritum non habet? imo quis erit certus, se habere nunc spiritum, cum sciamus, non dari omnibus, et non sciamus quibus detur? Restat igitur, ut judicem agnoscamus solam Ecclesiam, de qua dubium esse non potest, quin habeat Spiritum Dei, et filios suos sine errore doceat, cum sit columna et firmamentum veritatis. Id quod etiam Lutherus in lib. De potest. Papæ his verbis confitetur: (quidquid alibi scripserit, ut miro modo varius et instabilis fuit) « De nullo privato homine certi sumus habeat necne revelationem Patris: Ecclesia autem ipsa est, de qua dubitare non licet etc. » Porro Ecclesia non aliter loquitur, quam per os Pastorum et Doctorum, ac præcipue in generali Concilio congregatorum. Quod Concilium vel Summum Pontificem habuerit præsentem, et præsidentem, vel confirmationem, atque approbationem ab eo meruerit obtinere.

At, inquit, ille est certus se habere, qui petit; scriptum est enim: *Quanto magis Pater vester de Cælo dabit Spiritum bonum petentibus se.* Luc. XI. et Jacob. I. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus abundantem* (5). Respondeo: in his et similibus locis Dominum loqui non de spiritu interpretationis, qui est gratia quædam gratis data, sed de spiritu Fidei, Spei, Charitatis, et Sapientie necessarie ad salutem. Ut enim B. Augustinus docet tract. 73, 81. et 102. in Jo., non impetrat oratio infallibiliter, nisi id quod est necessarium, vel utile ad salutem ei, qui orat. Porro donum interpretandi, sicut donum linguarum et miraculorum, et alia ibidem enumerata, non semper sunt utilia ei, qui illa habet.

Sicut igitur spiritum loquendi linguis, vel faciendi miracula, non possumus semper impetrare, etiam si scriptum sit: *Dabit Spiritum bonum petentibus se*, ita nec spiritum interpretationis. Nam alioqui posset fieri, ut totum corpus Ecclesie esset unum membrum, id est, omnes essent oculi, omnes manus etc. contra Apostolum Roman. XII.

et I. Corinth. XII. Præterea etiam Dominus in illis locis loqueretur de dono interpretandi, adhuc non esset certus quicumque petit se illud habere, quia non est certus an bene petat; scriptum est enim: *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis* (1). Jacob. IV. Alioqui cum spiritum istum petant Lutherani, petant Anabaptistæ, petant Zwingliani; unde est quod diversissimos et inter se pugnantos spiritus accipiunt, si omnibus petentibus datur ille unus et verus Spiritus sanctus?

Nonnum testimonium est I. Joan. IV. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetae exierunt in Mundum* (2). Spiritus hominum privatorum probandus est, an ex Deo sit; multi enim jactant Spiritum sanctum, qui agitantur spiritu vertiginis et mendacii, ut dicitur III. Reg. ult. II. Paralip. XVIII. Isaie XIX. et XXIX. igitur non potest privatus spiritus esse judex; quomodo enim erit judex, cum de ipso adhuc judicandum sit?

Quare si quis illud *Hoc est corpus meum* exponat per *Hoc significat corpus meum*, quia sic ei spiritus revelat, adhuc non est quæstio definita. Nam Joannes monet, ut illum spiritum probemus, an sit ex Deo, ne potius forte sit spiritus vertiginis. Non autem potest probari ex Scriptura, ut ipsi volunt, quia de Scripturæ ipsius sententia hoc loco dubitamus; ergo debet probari ex conformitate ad spiritum eorum, quos constat verum spiritum habere, tales autem sunt Prælati in Concilio legitime congregati. Legimus enim Act. XV. Concilium dixisse: *Visum est Spiritui sancto et nobis*: talis etiam est Pontifex ex cathedra docens, quem ostendimus semper a Spiritu sancto dirigi, ut errare non possit: tales etiam fuerunt Apostoli et antiqui Fideles, quos certum est, Spiritum sanctum habuisse.

Næque id Calvinus negare potest, quippe qui in hunc modum ratiocinatur in Institut. lib. I. cap. 9. §. 4. contra Swencfeldium, qui solum spiritum volebat judicem, repudiatis Scripturis. Si spiritus iste esset bonus, idem esset cum spiritu Apostolorum, et primorum Fidelium: at spiritus illorum non volebat esse judex, Scripturis contemptis. Sed ita etiam nos contra Calvinum et alios hæreticos argumentamur: Si spiritus ipso-

rum esset bonus, esset idem cum spiritu Apostolorum et primorum Fidelium: sed spiritus illorum non volebat esse judex, sed recurrebat ad Petrum et ad Concilium, et eorum sententia acquiescebat, ut supra ostendimus ex Actor XV. igitur spiritus istorum, qui se judicem constituit, non est spiritus bonus.

## CAPUT VI.

*Idem probatur ex consuetudine Ecclesie.*

Probatur tertio ex praxi Ecclesie: nam in omnibus sæculis in Ecclesia exorta sunt nova dubia, et semper eodem modo terminata sunt, nimirum judicio Pontificis Romani, et Episcoporum qui tunc erant: non recte autem fieri, quod universa Ecclesia fecit semper et facit, dicere, aut scribere, insolentissima insaniam est, ut Augustinus ait in epist. 148.

Et nota, nos non tantum dicere, fuisse omnes causas judicatas per Pontificem Romanum et Episcopos, sed per Pontificem et Episcopos qui tunc erant. Nunquam enim propter ullam dubitationem judicandam creati sunt novus Papa et novi Episcopi: id quod dicimus propter Confessionistas, qui in confess. August. art. 28. fatentur, ad Episcopos pertinere discernere veram doctrinam a falsa. Sed cum petimus, cur ergo non acquiescant Concilio Tridentino? Respondent: istos, qui nunc sunt, non esse Episcopos, sed hostes Evangelii. At hoc idem dixerunt Ariani et alii omnes hæretici de Episcopis sui temporis: et tamen hoc non obstante, jam per 1500. annos semper dubia religionis explicata sunt ab Episcopis, qui secundum ordinariam successione erant in Ecclesiis, quando dubia illa exorta sunt: et qui non acquieverunt, hæretici sunt habiti.

Primo igitur Ecclesie sæculo, quod extenditur usque ad annum centesimum a Christo nato, orta est quæstio de caremoniis Legis veteris, an essent servandæ a Gentibus ad Christum conversis. Et sicut illa fuit prima quæstio in Ecclesia exorta, ita tunc celebratum est primum Concilium, presidente Pe-

(1) Act. XV. 28. — (2) Galat. II. 2. — (3) I. Corinth. XII. 8 et seq. — (4) II. Petri. I. 20. — (5) Luc. XI. 13.; et Jacob. I. 5.

(1) Jacob. IV. 3. — (2) I. Joan. IV. 1.